



**Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCLIII. De eadem Martha, & Magdalena mysticè acceptis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

auferenda; quia in Cælo cessante Vita Activa, que nunc Contemplationi, velut altera pars, moderata miscenda est, non cessabit. Itaque hic Contemplatio præferenda quidem est Vitæ Activæ, sed non separanda à toto, cuius est optima Pars.

## MEDITATIO CCCLIII.

*De eadem Martha, & Magdalena  
mysticè acceptis.*

PUNCTUM I. Considera verba, in primo Puncto præcedentis Meditationis relata, in sensu mystico & accommodatitio de Christi ingressu in hunc mundum ad Martham & Mariam, id est, ad Ecclesiam militantem, & ad MARIAM Virginem in Cælos assumptionem intelligi: ideoque in Missa Festi Assumptionis legitur hoc ipsum Evangelium. Itaque oculis mentis aspice B. Virginem in Throno inferiori post Christum, & sic quasi ad pedes Filij sui in Cælis considerantem, & audientem Verbum illius, quo scilicet Christus æterna Sapientia Patris communicat Gloriosissimæ Matri Thesauros Scientiæ & Sapientiæ suæ. Perpende, & gratulare Matri ingens hoc Gaudium, quod Gloriosa cum Filio Glorioso per novam istam, nec amplius dissolvendam conversationem habebit. Hoc est Præmium illius, quia Evangelicam Christi Doctrinam, & Verbum ejus, secum in terra degentis, intentissimè audiebat, & observando custodiebat, implebatque illud S. Lucæ testimonium: *Et Mater eius conservabat omnia Verba hæc in corde suo. c. 2. v. 51.* Hujus gaudij desiderio tenebatur S. Paulus, cupiens dil-

solvi, & esse cum Christo. Ejusdem Spe i. Thessal. 4.  
v. 16. solatur nos dicens: *Et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini in vicem in verbis istis.* Sic ergo cum Maria ad Christi pedes sedebunt, & *Verba Vitæ Eternæ* audient, qui in terra audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud: qui scilicet ritè percipiunt & exequuntur Christi Evangelicam Doctrinam, Præcepta, Consilia, Monita, internas Inspirationes &c, & ita per omnia B. Virginem sibi imitandam proponunt in terris.

PUNCT. II. Considera, Ecclesiam militantem præsentiam in Cælos Assumptæ Virginis destitutam, de sua solitudine modestè conquerentem dicere: *Dominus, non est tibi curæ, quod Soror mea reliquit me solam ministrare?* Dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. 10. v. 40. Perpende, quomodo Christus annuat huic querelæ, & Matrem in Cælesti Solio secum confidentem, simul constituat Adjutricem Ecclesiæ militantis, conferendo illi summam Potentiam, & Misericordiam, quæ licet in terra fuerit maxima, ex clarissima tamen Visione Misericordiæ Divinæ, ad Imitationem sibi propositæ, suo modo quoad intensionem, & extensio- nem in immensum excrescit. Itaque tu omnem minùs rectè ordinatam solitudinem, & animi turbationem depone, & assume magnam Fiduciam, quod nec in vita, nec in morte MARIA te solum sit derelicta, quin te adjuvet, & adsit tibi in omnibus actionibus, & in omnibus necessitatibus; modo etiam tu coopereris impetratis auxilijs Gratia, & sic adjuves MARIAM.

PUNCT. III. *Maria optimam Partem elegit, que non auferetur ab ea.* v. 42. Considera, quomodo inter co-

V. 2

hæredes

hæredes Christi Gloriosissimæ Matri optima Pars a  
tributa sit, ita ut portio Cælestium Bonorum & Gau-  
diorum, quæ illi obtigit, plurimum excedat omnium  
aliorum SS. Angelorum, & hominum, in unum etiam  
collatas portiones; nam tali modo etiam omnes supe-  
ravit Gratiâ. Unde de illa dicitur Proverb. 31. v.

*29. Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu supergressa es  
universas.* Optimam ergo Partem elegit MARIA, quia  
semper optimam elegit Operationem meritoriam, &  
eandem optimo modo operata est, & ideo ad sum-  
mam etiam Sanctitatem, & plenitudinem Gratia, &  
inde ad summam Gloriam in Cælis pervenit, quæ  
nunquam auferetur ab ea. Unde licet Maria Magda-  
lena forsan timuerit, ne juberetur à Christo surge-  
re, & juvare Sororem Martham, MARIA tamen Glo-  
riosâ penitus secura, & certa Partis suæ sibi nunquam  
auferendæ, eadem per totam æternitatem beatissi-  
mè fruitur. Talia Gaudia, procul missis vilibus ter-  
ræ solatijs, & talem Partem nunquam tollendam tibi  
elige, & eandem simili modo operandi, semper per-  
fectiore, promerere, æmulans Charismata meliora.  
Itaque imitare electionem prudentissimam, & gra-  
tulare MARIAE optimam Partem, nunquam auferen-  
dam.

## MEDITATIO CCCLIV.

### *Christus modum orandi Discipulos docet. Luc. 11. v. 1.*

**P**UNCTUM I. *Et factum est: cum esset in quodam loco  
orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ejus ad eum:  
Domine,*

*eboru*